

ferunt in eodem ipso suo errore mortuum. Meliorem sortem nactus est *Elipandus* Toletanus Episcopus, ille siquidem, quamvis diu veritati restiterit, & errori suo mordicus adhæserit, tandem *Alcuino*, eum, ut ad gremium Ecclesiæ Catholice rediret, sedulo adhortanti cessit, & pie mortuus est, ut testatur *Tamagus* in Toletanorum Archiepiscoporum Catalogo.

D. Esetne modo hæreticus ille, qui, unicam in Christo Domino personam admittendo, diceret, eum esse filium Dei adoptivum, supponendo adoptionem cadere non in personam, sed dumtaxat in naturam humanam assumptam, ratione cuius Christo competat adoptio?

M. Nonnulli e Schola Theologi post *Durandum* lib. 3. sent. dist. 4. quæst. 1. docent, Christum ratione naturæ humanæ dici posse filium adoptivum. Verum, hæc sententia, pace illorum Theologorum dixerim, hæresi *Felicitis*, & *Elipandi* haud parum patrocina videtur, quia nempe nemini privato Theologo licitum est pro nutu & arbitrio novas vocibus significationes assignare, aliter nihil certum esset, nihil fixum in definitionibus Ecclesiæ, & aliunde in apertum discrimen vocaretur fides Catholica, cum ex una parte certa omnibus tum Juris consultis, tum Theologis & fixa notio sit adoptionis, quæ sit assumptio personæ extraneæ; ex altera vero parte imminente cum periculo fidei affirmaretur, Christum, ut hominem, esse filium Dei adoptivum, ex quo palam sequeretur, non modo duos esse in Christo filios, sed & duas personas, reclamantibus ex adverso Scripturis, Sanctis Patribus, & Conciliorum decretis. Quocirca, cum juxta naturam hujus vocis adoptionis significationem, non in naturam, sed in personam cadat adoptio, duplicem personam in Christo admittere jure præsumeretur ille, qui eum diceret filium Dei adoptivum, tametsi profiteretur se id intelligere ratione naturæ humanæ, non ratione personæ. Præterquamquod falso supponunt hi Theologi, naturam humanam Christi esse Verbo divino extraneam, ac subinde Christo adoptionem ratione naturæ humanæ competere posse. Falso, inquam, id supponunt hi Theologi, natura siquidem humana in Christo respectu Verbi divini post factam semel unionem hypostaticam, quæ naturalis est, & substantiva, non potest dici extranea, sed potius propria Verbo divino, utpote quam, ut suam & propriam possideret Verbum, idque consentaneè ad mentem SS. Patrum, qui adversus *Nestorium* dimicantes, ut ostenderent carnem, seu humanitatem non esse Verbo extraneam, & alienam, sed propriam, totis viribus allaborarunt. Apagere ergo sententiam *Durandi*, & aliorum ei ad stipulantium Theologorum, qui asserunt, Christum ratione naturæ humanæ esse filium adoptivum.

D. Suppetitne tibi aliquid aliud dicendum de Hæresibus, quæ octavo sæculo Ecclesiam exagitarunt?

M. Ne quid intactum relinquam, breviter hic atroxam errores *Adalberti* natione Galli, &

Clementis genere Scoti, qui anno circiter septingentesimo quadragesimo quarto turbas excitare, plebem Christianam ementitæ sanctimonie larva seducere, & *S. Bonifacio* Germaniæ Apostolo negotium facessere cœperunt. Horum hypocrisim, fanatismum, & deliria graphice describit. idem *S. Bonifacius* in Epistola, quam scripsit ad *Zachariam* Summum Pontificem, quæ inter Bonifacianas est centesima tricesima quinta. *Adalbertus* fuit damnatus in Synodo Sueffionensi habitata anno dcccxliv. Rursum, idem *Adalbertus*, & *Clemens* confixi sunt in Concilio Germanico in Majoratu *Carolomanni* incerto loco celebrato anno dcccxlv. ut scribit *Orblonus* in Vita *S. Bonifacii* lib. 1. cap. 37. Postremo, ubi accepisset *Zacharias* Papa ea, quæ in Concilio Germanico contra duos illos Hæreticos peracta fuerant, Synodum Romæ convocavit eodem anno dcccxlv. in quo in *Adalbertum*, & *Clementem* hanc tulit sententiam: *Adalbertus*, cujus nobis Actus & nefaria commenta relecta sunt, quia se Apostolum censuit nominare, & capillos atque ungulas suas populis pro sanctuario exhibuit, seducens populum diversis erroribus; & quoniam, sub obtentu Angelorum, in suo auxilio Demones invocavit, ab omni officio Sacerdotali deponatur, agens poenitentiam pro commissis, & amplius populum minime seducat. Sin autem in his erroribus perseveraverit, & populum amplius seduxerit, sit ei Anathema, & eterno Dei judicio condemnetur, omnisque, qui ei consenserit, vel ejus secutus fuerit doctrinam, aut adjunctus illi fuerit. Similiter autem & *Clemens*, qui per suam stultitiam Sanctorum Patrum scripta respuit, vel omnia Synodalia Acta parvi pendit, inferens etiam Christianis Judaisum, dum prædicat fratris defuncti uxorem posse in matrimonio jungi, insuper & Dominum nostrum Jesum Christum descendente ad Inferos, pias & impios simul inde abstraxisse; ab omni etiam Sacerdotali officio deponatur & Anathematis vinculo obligetur, atque, nisi resipuerit, eterno Dei judicio condemnetur, vel etiam omnes, qui ejus sacrilegis consentiunt predicationibus. Ex hac sententia, quam *Zacharias* Papa in *Adalbertum*, & *Clementem* in Synodo Romana tulit, patescunt errores, quibus duo illi Hæretici impliciti fuerunt, quosque rudi & imperitæ plebi instillare tentarunt. Sed de Hæresibus, quæ sæculis Ecclesiæ septimo & octavo prodierunt, hic plura non addam, acturus in proximo Colloquio de Conciliis, in quibus vel ejusmodi hæreses protritæ fuerunt, vel sancita est disciplina Ecclesiæ. Hoc erit igitur proximi nostri Colloquii argumentum, quod ad notitiam Historiæ Ecclesiasticæ omnino necessarium est.

COLLOQUIUM IV.

De Conciliis cum Generalibus, tum Nationalibus, quæ sæculis septimo, & octavo sive ad præteritas Hæreses, sive ad sancendam Ecclesiæ disciplinam variis in locis fuerunt celebrata.

D. CUM inter Concilia, quæ sæculis Ecclesiæ septimo & octavo indicta fuerunt, alia sint Generalia, alia Nationalia; quædam ad extirpandas Hæreses, quædam vero ad collapsam Ecclesiæ disciplinam instaurandam convocata; præstat, ut incipiamus ab illis Conciliis, in quibus confixæ sunt Hæreses, & deinde progrediamur ad Concilia, in quibus sancita est Ecclesiæ disciplina. Cedo itaque in primis Concilia, in quibus damnata est Monothelitarum Hæresis, quæ septimo Ecclesiæ sæculo multorum pervasit animos.

M. Sub *Joanne IV.* Romano Pontifice an. dxxl. habitum est Romæ Concilium, in quo damnata est Monothelitarum Hæresis, & proscripta itidem *Ecthesis* Imperatoris *Heraclii*, sicut refert *Theophanes*, qui etiam testatur, in Africa in Provinciis Bizacena, Numidia, & Mauritania diversos pariter convenisse Episcopos, qui alias Synodos celebrarunt, & Monothelitarum Hæresim confixerunt. Alterum Concilium anno dxxlviii. Romæ convocavit *Theodorus* contra *Paulum*, & *Pyrhum* Episcopos Monothelitas, qui anathemate percussi sunt, & in eos lata sententiæ subscripsit *Theodorus* Papa calamo Christi sanguine in Calice tincto, ut asserit *Theophanes*. Tertium Concilium, quod dicitur *Lateranense*, Romæ anno dxxlix. die quinta mensis Octobris coegit *Sanctus Martinus* hujus nominis Primus Romanus Pontifex, ut Typum Imperatoris *Constantis* & Monothelitarum Hæresim damnaret. Hoc Lateranense Concilium absolutum fuit in Pervigilio Festi omnium Sanctorum, eique interfuert centum & quinque Episcopi, inter quos erant *Maximus* Episcopus Aquilejensis, & *Deusdedit* Antistes Calaritanus. Constat hæc Synodus Lateranensis quinque Secretariis, seu Consultationibus totidem diebus consecutis, condiditque viginti quinque Canones, in quibus damnatur Monothelitarum Hæresis, ejusque Auctores, ac Sectatores, anathemate configuntur, necnon *Ecthesis* *Heraclii* Imperatoris, & Typus *Constantis* Imperatoris proscribuntur. Prudenti tamen Economia erga *Constantem* Imperatorem, qui Typum promulgaverat, se gessit *Sanctus Martinus* Papa. Typum namque sub *Constantis* Imperatoris nomine damnare noluit, nec anathemate eum ferire, ne inde Schisma fieret in Ecclesia, cujus paci & unitati consulere, in votis habebat Sanctissimus ille Pontifex. Tanta autem fuit hujus Concilii Lateranensis sub *Sancto Martino I.* congregati auctoritas, ut post quinque Synodos Generales in professionibus fidei a Pontificibus Romanis fieri solitis, memoraretur, ut videre est in libro *Diurno Romano-*

rum Pontificum cap. 2. tit. 9. Decreta istius Synodi Lateranensis *S. Martinus I.* publicavit per Epistolam Encyclicam ad omnes Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Abbates, Monachos, & ad universos fideles directam. Hæc Monothelitarum Hæresis damnatio, & anathema Typo *Constantis* in Synodo Lateranensi dictum, iram hujus Imperatoris in Sanctum Pontificem *Martinum I.* vehementer accendit. Id enim ubi rescivisset *Constantis* Hæreticus Imperator, furore percitus, ipsum a Constantiniana Basilica vi abductum in exilium ablegavit anno dcliii. non vero, ut ait *Baronius*, anno dcl. Eo in exilio rerum omnium penuria, morbis, inedia & ærumnis confectus ad Deum migravit Sanctissimus Pontifex, sicut latius exposuimus in Colloquio secundo in Historiam septimi Ecclesiæ sæculi. Verum, mortuo Imperatore *Constante*, filius ejus *Constantinus* dictus *Pogonatus*, optimus, & religiosissimus Princeps ad Solium Imperiale provectus est, qui, secundum Deum, nihil antiquius habens, quam ut pacem Ecclesiæ procuraret, litteras ad *Donum* Romanum Pontificem direxit, eumque invitavit, ut convocaret Concilium generale, cui ipse, vel ab eo missi legati præessent. At, exempto e rebus humanis *Dono* Pontifice *Maximo*, ad manus *Agathonis* ejus successoris litteræ *Constantini* Imperatoris devenerunt, qui in tanto Ecclesiæ discrimine tam justæ petitioni libentissime concessit, iussitque, ut ante celebrationem Concilii generalis, variis in Regionibus Synodi celebrarentur, in quibus Monothelitarum Hæresis profligata est, videlicet in Synodo Mediolanensi habitata anno dclxxxix. in Synodo Anglicana eodem anno indicta, Præside *Theodoro* Dorovernensi Episcopo, & in Synodo Romana ab *Agathone* Summo Pontifice convocata, ut constat ex ejusdem *Agathonis* Papæ litteris ad *Constantinum Pogonatum* Imperatorem datis. His Synodis postrata quidem est Monothelitarum Hæresis, quæ tandem ultimo ictu confixa est a Synodo sexta Œcumenica, quæ est tertia Constantinopolitana, cujus Historiam hic perstringere necesse est.

D. Quandonam cœpta est Synodus ista Generalis, quot ei adsuerunt Episcopi, & qui illius Præsides?

M. Synodus sexta Generalis, quæ est Constantinopolitana tertia, cœpit Constantinopoli die VII. mensis Novembris anni sexcentissimi octogesimi in *Trullo*, ut legitur in prima Actione. Quid autem sit *Trullus*, late explicat *Du-Cangius* in Constantinopoli Christiana lib. 3. paragr. 32. & sequenti. Breviter hic observasse sufficiat, *Trullum* nihil aliud esse, quam Imperialis Palatii Secretarium in altum porrectum & superne fornicatum, idest rotundum & concameratum. In eo itaque ædificio, quod *Anastasius* Bibliothecarius in Vita *Agathonis* Papæ Basilicam, & in Vita *Leonis II.* Palatium appellat, celebrata est Constantinopoli sexta Synodus generalis. De numero Episcoporum, qui huic sanctæ Synodo interfuerunt, non satis inter Scriptores convenit. Alii quippe cum

Theo-

Theophane & Cedreno numerant ducentos octoginta novem Episcopos. Alii. centum sexaginta sex, a quo numero non longe recedit *Pho-rius*, qui in libello *de Synodis* recenset centum & septuaginta Episcopos. In tanta porro opinionum discrepantia nihil certi de numero Episcoporum, qui sextæ Synodo generali interfuerunt, affirmare possumus. Hoc unum extra omnem dubitationis aleam esse debet, scilicet *Agathonem* Romanum Pontificem huic sextæ Synodo generali præfuisse per suos Legatos *Theodorum*, & *Georgium* Presbyteros, & *Joannem* Diaconum; deinde, omnes Episcopos, qui aderant, maxima veneratione profecutos fuisse *Agathonem*, ut Vicarium Christi, Caput & Doctorem totius Ecclesiæ, eosque, secundum ejus Epistolas ad Concilium directas, de dogmate fidei sententiam tulisse, ut liquido constat ex Actis istius Synodi, ex Patrum Sermone acclamatorio ad Imperatorem, & ex litteris Synodicis, quas Episcopi ad *Agathonem* Papam scripserunt. Huic sextæ Synodo generali interfuit etiam Imperator *Constantinus Pogonatus*, & honorificentiori loco sedit tanquam Ecclesiæ & Concilii defensor, non tanquam Judex Controversiarum fidei, quarum examen, aut Judicium ad laicalem quamcumque potestatem nullatenus pertinere potest. Ea de causa *Constantinus* piissimus Imperator post omnes dumtaxat Episcopos subscripsit his verbis: *Constantinus in Christo Deo, Rex ac Imperator Romanorum, legimus & consensimus*. At Legati *Agathonis* Papæ omnium primi subscripserunt; cæteri autem Episcopi hanc Formulam in suis subscriptionibus usurparunt: *N. Episcopus..... definiens subscripsi*. Ex quo facile colligitur, *Constantinum* Imperatorem huic sextæ Synodo interfuisse, aut subscripsisse, non ut Judicem Controversiarum fidei, sed tanquam Concilii & Ecclesiæ defensorem.

D. Quid præcipue actum est in sexta Synodo generali?

M. Octodecim Actiones, seu Sessiones habitæ sunt in sexta Synodo generali. Quinque priores Actiones habitæ sunt eodem anno, quo convocata est hæc Synodus, nimirum anno sexcentesimo octogesimo; tredecim vero aliæ anno sequenti, seu sexcentesimo octogesimo primo, fuerunt celebratæ. In quinque prioribus Actionibus perlecta sunt Acta Conciliorum generalium Ephesini, Chalcedonensis, & secundi Concilii Constantinopolitani, quod est quintum generale. Lecta est etiam Epistola *Agathonis* Papæ, necnon Epistola Concilii Romæ contra *Monothelitas* celebrati, quibus omnibus manifesto contra *Macarium* Patriarcham Antiocheum insignem *Monothelitam* probatum est, non posse citra apertam Hæresim negari, duas in Christo esse voluntates & operationes. In sexta Actione, quæ habita est die XII. mensis Februarii anni DCXXXI. data est Hæreticis facultas loca Sanctorum Patrum de unica Christi Domini voluntate, & operatione in medium adducendi. Sed ea Sanctorum Patrum testimonia, quæ prouulerunt Hæretici, truncata, & adulterata reperta

sunt. In sexta Actione die XIII. Februarii ejusdem anni habita, Legati Summi Pontificis laudarunt Sanctorum Patrum testimonia, quæ discrete ostendunt duas in Christo esse voluntates, & operationes. In reliquis undecim Actionibus non tantum *Monothelitarum* error damnatus est, verum etiam personæ, ac inter mortuos *Theodorus Pharanitanus*, *Cyrus Alexandrinus* Patriarcha, *Sergius*, *Pyrrhus*, *Paulus*, & *Petrus* Patriarchæ Constantinopolitani, *Monothelitæ* omnes. His additur *Honorius* hujus nominis Primus Pontifex Romanus, qui tamen propter *Monothelitarum* Hæresim non fuit damnatus, sed quod eam exorientem statim non compressisset, eique suo silentio plus æquo favisset, sicut in superiori Colloquio ostendimus. Inter vivos damnati sunt *Macarius* Patriarcha Antiochenus *Monothelitarum* Antesignanus pessimus, *Stephanus* ejus discipulus, & *Polychronius* delirus senex ac miraculorum somniator, qui eo dementiæ prorupit, ut Patribus Synodi certo sponderet, mortuum hominem, universo adspiciente populo, a se ad vitam revocatum iri, statim atque cadaveris capiti scriptam fidei suæ (*Monothelitæ* scilicet) professionem admovisset. Adducitur itaque medium in Forum humanum cadaver, cui præstigiator *Polychronius* Charitulam, in qua scripta erat hæc propositio: *Qui non confitetur unam voluntatem, & unam Dei virilem operationem, non est Christianus*, ad caput, & ad pedes sæpius admovet, auribus etiam demortui nescio quid insusurrans. Sed surdo cecinit miser ille impostor; Cadaver enim exangue ac penitus exanime, sicut antehac remansit, nedum se in pedes erexit. Sic impostor *Polychronius* sese omni populo hujus ludi spectatori deridendum propinavit, qui tamen inflexus, & obstinatus, sicut Hæreticis solenne est, cum ab hæresi revocari haud posset, Sacerdotio abdicatus est, & a Patribus Concilii anathemate percussus. Hanc infaustam *Polychronii* sortem imitari noluit *Georgius* Patriarcha Constantinopolitanus; licet enim ipse ante celebrationem Concilii esset *Monothelita*, in eo tamen Hæresim suam abjuravit, & Catholicam fidem de duabus in Christo voluntatibus, & operationibus palam professus est, sicut testatur *Venerabilis Beda* in lib. *de sex mundi Ætatibus*. His celebratis octodecim Actionibus, & felicissimo exitu dirempto sexto generali Concilio, Patres Synodicam relationem ad *Agathonem* Pontificem Maximum miserunt, confirmationem Concilii ab ipso postulantes, quam tamen *Agatho* Papa morte præventus dare non potuit, sed *L. II.* ejus successor, post acceptam Epistolam, quam ad ipsum *Constantinus Pogonatus* Imperator pro confirmatione Concilii scripsit, prædictum Concilium sextum generale Apostolica auctoritate confirmavit, illudque cum aliis quinque universalibus Conciliis connumerari debere sanxit.

D. Perveneruntne usque ad nos sincera Acta sextæ Synodi generalis?

M. Cum animadverteret Eminentissimus Anna-

Annalium parens *Baronius*, *Honorium* Romanum Pontificem, a quo jure merito labem hæreseos abstergit, in Actis Concilii sexti generalis, quæ nunc habentur, anathemate implicatum reperiri, sibi, aliisque persuadere tentavit, pro ea ad nos sincera non pervenisse, sed fuisse interpolata artibus *Theodori* Constantinopolitani Episcopi, qui, cum esset *Monothelita*, a Sede Constantinopolitana ante celebrationem sexti Concilii generalis dejectus, & postmodum in eodem Concilio cum cæteris *Monothelitis* proscriptus fuit. Sed statim post Concilium, cum sedi suæ, emissa Catholica Fidei professione, restitutus fuisset, pro ea, qua apud Imperatorem gratia pollebat, Acta Concilii sexti generalis corruptis, & suo proprio nomine ex iisdem expuncto, *Honorii* Papæ nomen substituit, atque ita *Leoni II.* Summo Pontifici, & cæteris aliis Patriarchis Acta sextæ Synodi generalis supposititia transmisit. Hæc est *Baronii* sententia, quæ viris eruditissimis nostræ ætatis minime probatur. Acta siquidem sextæ Synodi, quæ nunc habentur, sincera esse, nec unquam fuisse interpolata, invicte ostendunt *Combesius* in Historia *Monothelitarum* Dissertatione Apologetica pro Actis sextæ Synodi, *Christianus Lupus* in Dissertatione de sextâ Synodo generali ad Actionem XVIII. Noster *Natalis Alexander* in Dissertatione secunda septimi sæculi, *Garnerius* in Appendice ad Notas capituli secundi Libri Diurni Romanorum Pontificum, *Antonius Pagius* in Critica *Baronii*, aliique doctissimi Scriptores, quibus in præsentia recensendis superse-
deo.

D. Veneror, ut par est, Viros, quos laudasti, apprime eruditos, sed ab opinione *Baronii* discedere mihi religio est, nisi perspecta prius habuerim momenta, quibus ducuntur viri illi eruditi ad rejiciendam plausibilem istam *Baronii* conjecturam, quæ ad purgandum *Honorium* Romanum Pontificem a *Monothelitarum* hæresi, quæ ipsi affingitur, conferre plurimum potest.

M. Hæc *Baronii* conjectura ideo viris eruditissimis aridè non potuit, quia nihil in ea obtruditur, quod non sit incertum, vel falsum, vel incredibile. At enim primo; supponit *Baronius*, *Theodorum* Patriarcham Constantinopolitanum ante sextam Synodum generalem fuisse Sede sua ob *Monothelitarum* hæresim ab Imperatore *Constantino Pogonato* dejectum. Sed hoc incertum omnino est, planeque ignoratur causa, ob quam *Theodorus* e Sede sua Constantinopolitana pulsus fuerit. Si enim ob *Monothelitarum* hæresim, ut causatur *Baronius*, Patriarchatu Constantinopolitano privatus fuisset *Theodorus*, ut quid, amabo, *Constantinus* Imperator in ejus locum sufficisset *Georgium*, qui erat itidem *Monothelita*, quique, ut jam observavimus, in sexta dumtaxat Synodo generali Orthodoxam fidem amplexus *Monothelitarum* hæresim ejuravit? Præterea, affirmat *Baronius*, *Theodorum*, statim post sextum Concilium generale suæ Sedi Constantinopolitanæ restitutum, obliterasse suum nomen ex Actis illius Concilii, in quo tanquam Hæreticus *Monothelita* proscriptus fuerat, & suo loco no-

men *Honorii* Romani Pontificis fraudulenter reposuisse. Id autem profus ablutit a vero, tum quia de damnatione *Theodori* in Concilio sexto generali altum est apud Veteres, & apud etiam *Anastasium* Bibliothecarium silentium; tum quia, si *Theodorus* fuisset in errore pertinax, atque in Concilio tanquam Hæreticus *Monothelita* notatus, nunquam profecto consensisset *Constantinus Pogonatus* Imperator egregius Fidei Catholicæ defensor, ut Sedi Constantinopolitanæ post Concilium restitueretur, sicut revera fuit restitutus. Cum igitur *Theodorus* in sexta Synodo generali damnatus haud fuerit, abhorret ab omni veri specie, quod suum nomen e Catalogo Hæreticorum, qui hac in sexta Synodo confixi sunt, deleverit, ut *Honorii* Papæ nomen suum in locum intruderet. Nec minus veritati Historiæ repugnat, quod ait idem *Baronius*, videlicet *Theodorum* statim post celebrationem sexti Concilii generalis Sedi Constantinopolitanæ restitutum fuisse. Constat enim *Georgium*, qui in depositi *Theodori* locum subrogatus fuerat, tribus annis post celebratam sextam Synodum generalem, adhuc superstitem vixisse, Sedemque Constantinopolitanam tenuisse, ut testatur *Theophanes* in Chronico. Qui igitur fieri potuit, ut *Theodorus* statim post celebrationem sexti Concilii generalis Sedi suæ Constantinopolitanæ fuerit restitutus? Tertio, incredibile penitus esse asserunt Viri eruditi, *Theodorum* corrumpere potuisse Acta sextæ Synodi generalis, quia, etsi detur *Baronio*, *Theodorum* corrupisse Acta Concilii sexti generalis, quæ in Scriniis Ecclesiæ Constantinopolitanæ asservabantur, certe eadem adhibita fraude vitare nequaquam potuit Acta ejusdem Concilii, quæ ad Sedes Patriarchales transmissa fuerunt. Constat siquidem ex Actione decima octava ejusdem Synodi, tradita fuisse quinque Sedibus Patriarchalibus Autographa definitionis fidei, quæ omnium Episcoporum, & Imperatoris subscriptione munita erant. Quis autem dicat, ejusmodi Acta sextæ Synodi ad quinque Sedes Patriarchales transmissa fuisse vitata, & tamen de illo vitio nullum ex septuaginta quinque supra centum Episcopis, qui aderant Concilio, & quorum id scire maxime intererat, nullum etiam e Presbyterorum infinita multitudine reclamare, aut verbum aliquod hincere aut murrare ausum fuisse adversus unum hominem (*Theodorum* videlicet) famæ alioqui deturpatæ, qui interpolatrice manu acta illa depravasset? Postremo, *Baronius*, & post eum nonnulli gestientes omnia, quæ *Honorium* Papam perstringunt, abolere monumenta, non animadvertunt, quod, dum Acta sextæ Synodi ideo depravata fuisse dicunt, quia in his *Honorius* Papa una cum *Monothelitis* damnatus legitur, necesse est, si sibi constare velint, ut asserant, fuisse etiam dedita opera corrupta Acta Synodorum generalium septimæ, & octavæ, in quibus pariter *Honorius* Papa damnatus & anathemate percussus legitur. Necesse quoque est, ut dicant, Summos Pontifices *Leonem II.* & *Hadrianum II.* Acta sextæ Synodi vitata, Sedi

Sedi Apostolica injuriosa & plena calumniis in *Honorium* Papam ad se transmissa, auctoritate sua approbasse. Manifestum quippe est, *Leonem II.* in Epistola ad *Constantinum Pogonatum* Imperatorem, & in Epistola secunda ad Episcopos Hispaniae accensere *Honorium* ceteris Monothelitarum Signiferis in sexta Synodo generali damnatis. Constat etiam, eundem Summum Pontificem Acta Synodi sextae, etiam qua parte damnatur *Honorius*, Latine reddita Latinis legenda & recipienda exhibuisse, omnesque Galliarum, & Hispaniarum Praesules ea sibi exhibita recepisse. Mitto, brevitate causa, *Anastasium* Ecclesiae Romanae Bibliothecarium, qui Synodos suis temporibus habitas septimam, & octavam ex Graeco in Latinum transtulit, & *Honorii* Papae damnationem, quam in Graecis Codicibus legerat, e sua versione Latina non expunxit. Mitto etiam Collectores Canonum doctissimos *Ivonem*, *Anselmum*, *Deusedit*, & *Gratianum*, in quorum mentem nunquam venit Acta sextae Synodi generalis fuisse interpolata. Quapropter, hi, qui cum *Baronio* pertendunt, Acta sextae Synodi fuisse vitata, quia in his *Honorius* damnatus reperitur, debent criminari Summos Pontifices, Concilia generalia, & illustres Scriptores, qui conceptis verbis assunt, *Honorium* revera fuisse damnatum in sexta Synodo generali, nec tamen de corruptione Actorum illius Synodi vel leviter conqueruntur. Quod si haec, utpote omnino absurda, dicere non audent *Baronianae* sententiae assertores, consequens est, ut fateantur, Acta sextae Synodi generalis non fuisse vitata, seque in abolenda *Honorii* Papae damnatione, quae in illis Actis legitur, immoderato affectu, studioque frustra laborare. Plura locis apud doctissimum nostrum *Combesium* loco antea laudato.

D. Persuadent quidem, fateor, gravissima ista doctissimorum Scriptorum, quae adduxisti, momenta; at pace illorum dixerim, Orthodoxiae *Honorii* haud parum officiant. Si enim revocari in dubium amplius non possit, *Honorium* in sexta Synodo generali una cum aliis Hæreticis Monothelitis proscriptum fuisse & anathemate percussum, qui poterit *Honorius* ab hæreseos labe vindicari, utpote damnatus tanquam Hæreticus ab Æcumenica Synodo, cujus iudicium indeficiens esse, nullique errori obnoxium concors est omnium Catholicorum sententia? Hic est certe nodus gordius, quem nullo negotio secat *Baronius* docens, Acta sextae Synodi generalis de industria fuisse vitata, & *Honorium* in prædicta Synodo non fuisse damnatum. Qua semel admittitur responsione, res plane confecta est, nullusque omnino de *Honorii* Orthodoxia dubitandi locus superesse potest.

M. Nodum istum gordium, ut vocas, non feliciter explicat, sed implicat magis hæc *Baronii* sententia, in qua, ut ostendunt viri eruditi, quos mox laudavi, nihil asseritur, quod non sit incertum, vel dubium, vel incredibile. Præterquamquod, sic arguunt contra conjecturam *Baronii*: Si in Actis sextae Synodi generalis dumtaxat legeremus, *Honorium* fuisse damnatum,

utcumque ad probandam *Honorii* Orthodoxiam inservire posset hæc, etsi falsa, conjectura *Baronii* asserentis, Acta sextae Synodi fuisse corrupta, & *Honorii* damnationem *Theodori* Episcopi Constantinopolitani fraude fuisse in iis insertam. At cum legamus etiam in Actis Conciliorum generalium septimi & octavi, *Honorium* fuisse tanquam Hæreticum damnatum; cum idem insuper testentur Summi Pontifices *Leo II.* & *Hadrianus II.* omnesque Scriptores Ecclesiastici, qui ea de re scripserunt, nihil prorsus ad promovendam *Honorii* causam juvare potest hæc *Baronii* conjectura, nisi fingamus, Acta Conciliorum generalium septimi & octavi fuisse similiter corrupta, & mox citatos Summos Pontifices, clarissimosque Scriptores depravationem Actorum sextae Synodi malis Hæreticorum artibus factam, ne tantillum quidem fuisse subodoratos. Credat hoc qui voluerit; nos vero tot laudatis testimoniis locupletissimis adhaerentes, & subleste *Baronii* conjecturæ veritatem historiarum præponentes, candide fatemur, *Honorium* fuisse vere damnatum in sexta Synodo generali, non ut Hæreticum sententia, ac electione prava, & obstinatione, quæ tria ad proprie dictam Hæresim necessaria esse fatentur omnes Theologi, sed damnatum fuisse ceu Hæreticum communione, favore & patrocinio Hæreticis Monothelitis impenso. Hoc est, ut clarius dicam, *Honorius* in sexto Concilio generali damnatus est, non quod unicam in Christo voluntatem & operationem docuisset, aut de ejus Orthodoxia dubitaretur, sed ideo tantum, quod unicam in Christo voluntatem docentibus impensus, quam par fuisset, faverit, in his coercendis & in ordinem redigendis negligens fuerit, Hæresimque Monothelitanam latius disseminandi silentio suo, causæ fidei prorsus noxio, opportunitatem eis suppeditaverit. Quamvis ergo *Honorium* a Monothelitarum hæresi omnino alienum fuisse dicamus, eum nihilominus in sexta Synodo generali iuste damnatum fuisse censemus, quia nimirum nascentis Monothelismi, Monothelitarumque fuit fautor. Eadem quippe culpa alicujus erroris fautores, ac ipsemet Auctor tenentur, ut ait *Celestinus* Papa ad Galliarum Episcopos sic scribens: *Merito namque nos causam respicit, si silentio favoreamus errori.* Non alia, juxta virorum peritorum sententiam, expeditior suppetit via ad purgandum ex una parte *Honorium* Romanum Pontificem a Monothelitarum hæresi, & ad tuendam ex alia parte veritatem historiarum, qua certissime constat, eundem *Honorium* in sexta Synodo generali fuisse damnatum.

Non me fugit, quosdam esse Scriptores, qui, post *Bellarminum*, ut notam hæreseos Monothelitarum ab *Honorio* Pontifice Maximo amoliantur, fatentur quidem, *Honorium* in sexta Synodo damnatum fuisse tanquam Hæreticum, sed contendunt, Patres illius Synodi errasse in examine, & iudicio, quod in causa *Honorii* tulerunt. Verum, ut cordate fatear, hic modus excusandi *Honorium* merito non placet, quia creditu admodum difficile est, Patres non solum Sy-

Synodi, sed & omnes Episcopos Conciliorum generalium septimi, & octavi, in quibus itidem *Honorium* damnatum legimus, errasse in ferendo de doctrina *Honorii* iudicio. Ne igitur a Regia via recedere videar, concludo, *Honorium* Romanum Pontificem a Monothelitarum Hæresi jure quidem optimo vindicari debere, eum tamen iusta de causa a sexta Synodo generali damnatum, atque anathemate percussum esse, non quod in Monothelitarum impigisset Hæresim, sed quod eorum fautor esset, & in illis reprimendis negligentia reus: *Quia flammam Hæretici dogmatis, non ut decuit, auctoritate Apostolica incipientem extinxit, sed negligendo confovit, ut scribit Leo II.* Summus Pontifex ad Hispaniae Episcopos, seu, ut ait idem Papa ad Hispaniarum Regem: *Quia immaculatam Apostolicam traditionis Regulam maculari permisit.*

D. De Synodis, in quibus jugulata ac confossa est Monothelitarum Hæresis satis haecenus disseruisti. Nunc recto ordine procedamus ad Concilia Nationalia, quæ sæculo septimo ad sancendam & restaurandam Ecclesiae disciplinam habitata sunt, & in primis ordiamur ab his, quæ in Oriente fuerunt celebrata.

M. De Conciliis Provincialibus, seu Nationalibus, quæ septimo sæculo in Oriente pro bono Ecclesiae regimine, ejusque disciplina instauratio- ne celebrata sunt, nihil comperti habemus, quia eorum Acta ad nos usque non pervenerunt, exceptis tamen Actis & Canonibus Synodi Trullanæ, quæ dicitur *Quini-sexta*, quia cum Synodi Generales quinta & sexta nullos pro Disciplina Ecclesiastica Canones edidissent, hanc Synodum Trullanam celebrarunt Episcopi Orientales, ut esset instar Appendicis & supplementi hærumce duarum præcedentium Synodorum generalium, & hæc de causa fuit *Quini-sexta* nuncupata. Hæc Synodus, quæ anno dcccxi. vel, ut alii volunt dcccxi. sub Sergio I. Romano Pontifice, & Justiniano II. Imperatore fuit convocata, appellatur a *Baronio* *Erratica*, quia a Sede Apostolica nunquam fuit approbata. Quapropter oleum & operam perdidit *Guilelmus Cave*, dum in *Historia sua literali, sæculo Monothelitico*, in odium Ecclesiae Romanae frigidam ac nullius plane momenti rationes adducit, ut probet hanc Synodum Trullanam pro Æcumenica esse agnoscendam. In hac Synodo centum & duo Canones editi sunt, sicut testantur *Theophrastus* Patriarcha Constantinopolitanus, septima Synodus generalis in confutatione Concilii Aconoclastici, *Photius* in Nomocanone, & Auctor libelli Synodici. Ex illis centum & duobus Canonibus plures sunt optimi, jureque laudandi, utpote antiquam disciplinam redolentes, & ad morum reformationem perutiles, ut ex illorum lectione tibi nullo negotio patebit. Sunt tamen inter illos Canones nonnulli, qui a Latina, seu Romana Ecclesia non fuerunt approbati, uti Canon II. quo octoginta quinque Apostolorum Canones & Constitutiones decernuntur admittendæ. Nec Canon XIII. quo Sanctissima Romana Ecclesia reprehenditur disciplina, qua sacris Mi-

nistris usus conjugii interdicitur. Non est etiam approbatus Canon IV. quo jejunium Sabbati in Romana Ecclesia observari solitum damnatur. Non est quoque approbatus Canon LXVII. quo abstinencia a sanguine & suffocato Clericis sub poena depositionis, Laicis vero sub poena excommunicationis inhibetur. Hi, inquam, Canones ab Ecclesia Romana nunquam recepti & approbati fuerunt. Similiter, non est ex omni parte approbatus Canon LXXXII. quo prohibetur, ne Christus Salvator depingatur in imagine Agni, sed tantum permittitur ut depingatur in imagine hominis, qua demum omnes sunt adimpletae figuræ. Sed de his centum & duobus Synodi Trullanæ Canonibus, qui universam Ecclesiam Orientalem complectuntur disciplinam, legendus est *Christianus Lupus* in Notis & Scholiis ad Canones Concilii Trullani, ubi de illis accuratissime differit.

D. Cum nullus dubitet varia Concilia Provincialia, seu Nationalia, ad sancendam Ecclesiae disciplinam septimo Ecclesiae sæculo fuisse in Occidente convocata, optarem ut ea primo recenseres, quæ celebrata sunt in Ecclesia Gallicana, quæ, ut me jam præmonuisti, antiquæ disciplinae conservandæ, aut instaurandæ semper fuit studiosissime intenta.

M. In Gallis septimo Ecclesiae sæculo ad restaurandam disciplinam quinque potissimum celebrata sunt Concilia Nationalia, Parisiense nimirum, Remense, Nannetense, Cabilonense, & Augustodunense, de quibus pauca hic attingere sufficit. Concilium Parisiense, quod, post obitum *Baronii*, cum eruditus Notis publicavit doctissimus *Sirmondus*, sub Clotario II. universam Francorum Monarchiam regente, indictum est anno dcccv. Septuaginta novem Episcopos huic Concilio interfuisse, legitur in veteri quadam collectione, quot in nullo præcedenti Galliarum Concilio adfuisse memorantur. Quo fit, ut Generalis Synodus appelleretur in Concilio Remensi Canone tertio. Superfunt adhuc illius Concilii Canones quindecim, etsi plures in eo conditos fuisse pateat ex ejusdem Clotarii Regis Edicto, quod ipsi subnectitur. Horumce Canonum Ecclesiae disciplinam spectantium explicatio legenda est in Historia Ecclesiae Parisiensis a *Corolo Du-Bois* in lucem emissæ. Legendus pariter est *Carolus Coincius* Tomo secundo Annalium Ecclesiae Francorum ad annum dcccv. (a)

„ (a) In meo Conciliorum Supplemento tom. „ I. pag. 467. quæstionem movi, num Synodus „ ista confundenda sit cum ea Regis convocatio- „ ne, quam *Fredegarius* indicat scribens an. xxxiiii. „ Clotarii *Warnacharium* majorem domus uni- „ versis Episcopis jussisse, ut ad Regem in *Bonogelo* Villa venirent, ibique, ait, cunctis illorum „ justis petitionibus annuens præceptionibus roboravit. Est *Bonogelo* locus in Parisiensi agro, juxta „ dice *Mabillonio*. Expendi in eam rem silentium *Fredegarii* de celebri hoc Parisiensi Concilio, in quo cum Episcopi tam multi convenissent, eorumque sanctiones constitutione Regia roboratæ essent, vix fieri potuisse credere- „ tur.